nerum ejus factus esse dicitur, quiq; insuper Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, pacisq; deniq; Princeps vocatur, aeterna nostra salus cum caeteris tum animae, cum corporis bonis unicè sit posita. Id quod et Ipse alibi nos docet, quum ait: Ego sum via, et veritas, et vita. Omnes proinde ac singuli, qui sunt in Christo Jesu, posteaquam Puer hic nobis natus, et Filius hic nobis est datus, non aberrabunt amplius à coelo, non seducentur à via vitae, multò minus in aeternam ruent mortem, quam primi nostri parentes olim in Paradiso, à serpente infernali seducti, suo jumento et sibi, et posteris omnibus accersivere. Et qui ruerent? Ecce enim Puer nobis est natus, et Filius nobis est datus, ut à Protoplastis perditam salutem recuparet, inq; libertatem illam, è qua miserrimè excideramus, mancipia Diaboli facti, plenissimè nos assereret. Asseruit, asseruit itaq; in pristinam nos libertatem, dum pro peccatis nostris satisfaciendo, poenam et reatum illorum sustulit, atq; justitiam, quae coram Deo valet, et vitam aeternam restituit. O Puerum Optimum! ô Filium beneficentissimum! Gaudete pueri; Puer natus est vobis: gaudete filii; Filius datus est vobis! Imò gaudeamus cum pueris nos juvenes, gaudeamus nos Viri, gaudeamus nos senes, gaudeant et Virgines ac mulieres! Natus namq; nobis etiam nostroq; commodo est Puer; datus nobis etiam nostroq; commodo est Filius. Verum quo dilabor? Etiamsi proinde plura hanc in rem dici à me possent, nolo tamen latius evagari, et caeteris dicturis praeripere tempus: nolo et vestrâ, A. V., abuti patientiâ. Quare lubens potius heic subsisto, atq; telam dicendi abrumpo. Tu verò ô Bone Jesu, esto etiam mihi Jesus, et propter sanctum nomen tuum miserere mei. Tu ipse enim factus es homo, ut et me perditum hominem Daemonum eriperes vinculis. O charitas! ô pietas! Quis unquam audivit talia? quis super haec tanta viscera misericordiae tuae non obstupesceret? quis ob nimium hunc tuum, quo et me prosecutus es, non laetantur amorem? quam hoc suave tuum est nomen? quam delectabile? Quid n. mihi Jesus, nisi Salvator? In nomen tuum spero baptizatus. Unde et in nomen tuum credo, inq; tuo no-